



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

III. Consilium Io. Cochlaei super negotio Lutherano, Ad Re. et illustriss.
Card. & Archiepiscopum Mogontinum, scriptum Maguntiae. Anno 1526.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

MISCELLANEO RVM LIBRI PRIMI TR. A.

status Quartus.

CONSILIVM IO. COCHLAEI SVP
per negotio Lutherano ad Reuerendiss. & Illu
striss. Card. & Archiepiscopum
Moguntinum.



REVERENDISSIME DOMI
ne, Illustrissime ac Clementissime Prin
ceps, ut super negotio Lutherano paucis
respondam, Quatuor præcipue mihi con
sideranda uidentur, Primum ne patian
tur Germani, Cultum dei ac sanctorum,
antiquitus traditum, ac obseruatum à maioribus nostris,
ulla nouitate minui, Ne grauiore in nos prouocemus iram
& uindictam dei, Secundum, ut diligentissime custodia
tur unitas Ecclesiæ, ne ullo schismate deficiamus à Sede A
postolica, Extra eam, n. unitatem saluari non possimus, Ter
cium, ut omnem doctrinam seditiosam seuerissime prohib
beant, Idquod tempus necessitasq; uehementer expostulât.
Quartum, ut non patiantur friuole contemni Conciliorum
statuta, Ecclesiæq; consuetudines, Ex eo enim contemptu
omnis sequitur discordia contumaxq; rebellio. Quam gra
uiter uero à Lutheranis in his quatuor peccetur, paucis cõ
memorabo.

DE CVLTU DEI ET
Sanctorum. Cap. I.

Nihil

Nihil fere in tota religione Christiana pie institutum est, quod non improbetur ac detestentur Lutherani, Nempe domus dei, Basilicas sanctorum, Monasteria, sacella, altaria, simul cum omnibus dei ministris, cum omnibus ornamentis & uasis sacris, cunctisque diuinis officiis, Missis, horis Canonicis, festis, Vigiliis, ieiunijs, decimis oblationibusque & id genus alijs, quae ad laudem dei, ad honorem Dei genitricis omniumque sanctorum, atque ad salutem animarum, pie ac sancte sunt a Maioribus nostris instituta, Haec inquam omnia non solum reijciunt & contemnunt Lutherani, sed etiam inter xij. facies Antichristi scelerato figmento commemorant. Siquis mihi non credit, is legat Lutherum in Catharinum, in eo libro quem Teuthonice inscribunt Gar aus. Sunt quidem eiusmodi libri alij quoque satis multi, quibus ab omnibus illis pijs institutis auocetur populus, sed uerum indicasse satis est, Ex eo. n. clare intelligi potest, qualis sit Lutheranorum intentio atque religio. Aeditus est autem liber ille Anno domini 1521. non diu postquam, e Vuormacia dimissus est Lutherus.

Et iam antea adiderat librum de Captiuitate Babylonica, in qua, non solum Indulgentias & Papatum, uerum etiam septem sacramenta aut omnino sustulit, aut impie in haereticos ritus demutauit. Vnde uidemus nunc turpissimos ac maxime diuersos atque uarios ritus Lutheranorum in baptismo & Eucharistia, Quidam. n. baptizant Teuthonice, quidam sine antiquis Ceremonijs, quidam sine fonte baptismali in aqua putei, quidam etiam rebaptizant. In Missa uero adhuc maior diuersitas est et abominatio. Quidam. n. totam, quidam dimidiam celebrant Missam Teuthonice, quidam laicos sub utraque specie absque praeparata confessione communicant, quidam uenerabile sacramentum in Ciborijs, monstrantijsque reseruari non patiuntur.

Quidam

Varietas rituum circa sacramenta.

Consilium Io. Coc.

Quidam in domibus apud infirmos, immo & inter epulas panem & uinum uerbis consecrationis porrigunt, Quidam denique negant panem in corpus Christi, conuerti & uinum in sanguinem, & quidem sub multiplici differentia, Lutherus n. ait corpus Christi adesse cum substantia panis, Zwinglius & Oecolampadius negant ibi esse corpus Christi. Ecce quanta diuersitas, contentio et impietas intra tam paucos annos circa duo sacramenta: At reliqua quinque reſciunt poenitus, adeo, ut Vualdenses quoque reprobet Lutherus, & septem ponunt sacramenta ac bonis operibus non nihil tribuunt, sicut Papistica (ut uocat) Ecclesia facit.

Non esse
Cōcilio pro
ponenda tā
absurda &
impia dog-
mata.

Quis iam non uidet, quā impij aut Væcordes cæteris Nationibus uideri possimus nos Germani, si hæc & id genus alia Lutheranorum dogmata uelimus, uelut dubia & discutienda, in proximum referre Concilium: Ergo si nos non moneat amor & honor dei, non cultus & ueneratio Dei genitricis omniumque sanctorum, non pietas maiorum, non ira & uindicta dei, quam anno superiore uidimus, non timor grauioris plagæ, quæ procul dubio futura est, nisi desistamus nostra sponte ab his nouitatibus, permoueat nos saltem uerecundia & pudor humanus, quem passuri sumus coram cæteris Nationibus in futuro concilio, si non totis uiribus antea his impietatibus resistamus. Quis, n. Principum, Episcoporum aut Doctorum Germaniæ, sine rubore audiat, improperari nobis uel ioco, An dubitemus tam horrenda Lutheranorum dicta, scripta atque etiam facta, damnare per nos ipsos, uelut impia, ut opus sit noua Concilij determinatione: Poterunt, n. Cæteri Reges Episcopi ac Doctores obijcere nobis, & quidem uerissime, quod Lutherani apud nos manifestissima impietate & uerbis & factis grauissimas iniurias & blasphemias commiserunt in Deum, in Christum,
in Dei

In Dei genitricem, in B. Petrum, in omnes sanctos, in septē sacramenta, in omnes animas fidelium defunctorum, in Missas, breuiter in omnes ritus & Cerimonias totius Ecclesiæ. Quid ergo faciant in Concilio? An non foret maxima nobis omnibus uerecundia, super talibus coram generali Concilio consultare aut determinationem petere?

In quo enim Concilio unquam interrogatum est, an demolenda sint templa & altaria Dei; an diruenda Monasteria; an nuptui tradendæ sint uirgines uelatæ ac Deo cōsecratæ; an Monachis uxores ducere liceat; an Christus in cruce desperauerit; an fuerit uere Deus & consubstantialis patri; an Maria sit inuocanda & Laudanda; an Salue regina sit cantandum; An S. Petrus unquam fuerit Romæ; An sancti sint in cœlis; an sint septem sacramenta; an pro fidelibus defunctis orandum sit; an Missa sit sacrificium; An Canon Missæ non sit impius; an septem horæ Canonice sint in laudem dei dicendæ aut cantandæ; an sint in Ecclesia uncti ac cōsecrati præter laicos Episcopi, presbyteri & Diaconi; an ullum sacrosacerdotium uisibile in nouo testamento; Quis in Christianorum, hæc & id genus alia permulta Lutheranos dogmata, sine rubore possit Generali Concilio, uelut dubia, proponere.

An ullus est apud Gallos aut Anglos tam simplex Russicus, qui de ijs definire secundum cōmunem Ecclesiæ fidem dubitet aut ignoret; An ullus est bubulcus aut subulcus in tota Vngaria aut Polonia, qui nesciat ad hæc secundum Catholicam fidem respondere; Qua ergo fronte Principes aut Episcopi Doctoresq; Germaniæ talia uniuersali Concilio determinanda proponant; Num Primas Germaniæ super ijs dubitet; num reliqui Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, tot Prælati atq; Doctores, quorum multi Italiæ Galliæq; Gymna

Iniqua patientia in Executione.

Consilium Io. Coch.

**Hæreses dā-
nandæ anteq-
quā fiat Cō-
cilium.**

si frequentarūt, ista ut per se impia ac semp̄ pro dānatis hæ-
bita, nō condemnent. Num Principes Laici ad tam horren-
da cōnueant, qui, si à Iudeo q̄piā nobis talia dicerent, mox
flammis ultricibus uindicarēt. Non igit̄ solū pietati anima-
rumq̄ saluti, uerū etiā honori ac famæ suę recte cōsulēt Prin-
cipes Germanię, si eiusmodi Lutheranorū dogmata, per se
se, mox in hæc dieta, unanimi cōsensu, uno ore, simplici secū-
dum fidē Catholicā determinatione, absq̄ omni disputatio-
ne uerbosa, cōdēnent, abrogent, execrent, anathematizent,
ac seuerissime phibeant, omnesq̄ eiusmodi libros diligentiss-
ime cōquiri ac cōcremari iubeāt, anteq̄ generale Concilium
cōgreget̄. Sic em̄ cum laude ac fauore aliarū Nationū in cō-
cilium uenturi sunt, atq̄ sua grauamina, et quicquid abusionū
est, cum fructu et gratia pponere ac emēdare poterūt. Si aut̄
distulerint hæc oīa usq̄ ad Cōcilij determinationē, uereor p
fecto, ne forte uelut Ethnici uideant̄ ceteris Nationibus, ac
indigni, tanq̄ ij qui foris sunt, ut super ijs iudicet̄, quæ adeo
manifeste sunt impia, ut etiā barbari Moscouite audientes
talia mox damnarent, exploderent, execrarentur.

**Nullū in cō-
demnatione
articulorum
periculum.**

Nec ullū iminebit eis inde piculū, si ista mox in hac Die-
ta Spirensi cōdemnent, Vident em̄ iam subditi eorū, q̄ uar-
rie dissideant Lutherani inter sese, nec ignorāt q̄ dure ac cru-
deliter scripserit in miseros rusticos Luherus iam interfectos
quos antea uarijs libellis, sub p̄textu Euangelij ac libertatis,
ad tā horrenda facinora cōcitauit. Magis itaq̄ dubitant nūc
populi, presertim Principū atq̄ Episcoporū subditi, de do-
ctrina Lutheri, q̄ dubitauerūt forsitan in prioribus Dietis,
magisq̄ sunt postremis eius libellis offensi, magis itē timidi
post rem male gestā, minus feroces, minus rebelles. Parebūt
igit̄ nunc facilius, ac p̄ius sequentur autoritatē ac deter-
minationē Principū in hac dieta, q̄ in priorib, facturi erāt,
quando maxime fauebatur Luthero, & nulla erat adhuc in

ter Lutheranos dissensio.

Quod si Ciuitates Imperiales in eiusmodi condemnationem consentire noluerint, saluent nihilominus Principes et Episcopi animas et suas & suorū, famamq; et honorē suū, ut possint eo honestius in Cōcilio cōparere. Credo equidē pocas fore Ciuitates Impiales, quę p̄tinaciter sint reluctaturę, si uiderint impia illa dogmata unanimi omnium Principū atq; Prælatorū cōsensu cōdemnata, Certissimū est em̄ ea oia in Cōcilio cōdēnatū iri. Quod si qui Principū de quibusdā dubitent, poterint ea modicis expensis transmittere ad Theologos Parisienses aliosq; sumę eruditionis ac integritatis uiros, ut cū illorū consilio certius agant omnia. Necessario em̄ stabitur tandē sententię talium, quantūcunq; differat causa.

Nec timendū est, q̄ calumniabunt Lutherani, absq; scripturis sua dogmata cōdēnari. Extant enim plurimi libri doctissimorum uirosū ex Angliā, Gallia, Hispania, Italia, Germania, itē & Polonia, atq; etiā Bohemia, qui plurimis et scripturis et rationibus ueterūq; autoritatibus dogmata illa aptissime cōfutauerūt. Et ego, oim infimus, Quingentos Lutheri articulos uno in libello iam dudū edito partim ex scripturis, partim ex cōtrarijs dictis Lutheri breuissime ac satis (ni fallor) plane reprobauī. Quā iuste autē condēnauerit ante annos sex Leo Papa X. Luth. articulos 41. solidissimis p̄fecto scripturis & rationibus, cōtra Lutheri assertionē ostēdit Reue. Episcopus Rossensis, Cui nemo Lutheranorū hactenus respondit. Ego q̄q; contra tres primos à Leone dānatos articulos, tres bñ lōgos scripsi libros, q̄b; nemo illorū r̄ndit, Nisi q̄d Luth. primo multis r̄ndit conuicijs. Ausim uero, p̄ honore et trāquillitate Germaniæ, sub uite piculo cū Luthe- ro super ijs tribus articulis cōcertare, non uoce quidem corā indoctis laicis sed scriptis corā iudicib; q̄s Principes nobis in

Non timendū à Lutheranis propter cōdemnationē articulorum.

Confilium Io. Coch.

id deputaturi essent, ita scilicet, ut alter nostrum, quem condemnaturi sint Iudices, inexorabiliter morti destinet. Quid amplius possint à nobis exigere omnes Lutherani? Certe Vuormacię quoque sic me obtuli Luthero in faciē, cum scripsissem tres libros contra Captiuitatem Babylonicam de uenerabili sacramento Eucharistia: sed renuit tunc ille omnes Iudices, & maior erat multorum fauor erga eum, quam ut grata possit uideri oblatio mea, qua semper iam per Quinquennium paratus fui pro fide Catholica & patrię salute, mortis quodcumque subire discrimen, longum interea exiliū ac multa opprobria perpeffus.

Mala apud
Exteros fa-
ma Germa-
nię per Lu-
the.

Opto igitur supplici uoto ac intimo corde, ut uos Principes atque Prælati, diligenti consultatione hanc rem expendatis atque definiatis, tam absurda dogmata condemnantes, & quidem uniuersaliter quicquid contra quacunque Ecclesię determinationē à Lutheranis docetur: nō expectato generali Cōcilio, quia non absque graui pudore, ac nota oīm nostrum poterūt talia, tanque dubia, Cōcilio proponi. Nunquam enim definit et Conciliū sup fide contrariū eius, quod semel ab Ecclesia definitum est. Et liberabitur hac ultronea uestra determinatione Nationē nostrā à grauissima infamia, que à Lutheranis contractimus apud externos, dum audiunt, apud nos uastari templa, suffodi altaria, in terrā proijci uenerabile sacramentum, Diripi Monasteria, sacras uestes uerti in prophanas, cōflari sacros calices, exuri sacras imagines, cōculcari sanctorū reliquias, sanctā prophanari crucē, eiusque imagines alicubi in flumen proijci, rebaptizari, quosdam adultos atque etiam senes, concurrere nudos alicubi uiros & mulieres absque pudore ac sanguinis discretionē, Excucullatis omnia esse plena, nubere atque etiam prostare Moniales, coniugia inire presbyteros & Monachos, uetari confessionem secretā, prohiberi
horas

horas Canonicas, aboleri missas latinas, abrogari & festa ac uenerationes sanctorum & memorias atque exequias defunctorum. Hæc & id genus barbarissima facinora complura, apud nos perpetrari audiunt reliquæ Nationes, Ad quæ nisi mirum stupent, ac signo se crucis muniunt, atque etiam Hussitis nos detiores iudicant, nimirumque mirantur tam inclytam ac religiosam Nationem potuisse tam cito ac facile ab uno Apostata fratrum mendicantium in omnem leuitatem, ad omne nefas impelli.

Ab hac igitur infamia egregie liberabitur Patriam nostram o Principes, si uestra sponte nunc tandem condempnaueritis tam absurda Lutheranorum dogmata, sicut faciunt Heluetij, et plurimi uestrum semper hæcenus fecerunt, faxit Deus, ut omnes uno sensu unoque ore nunc simul ita faciatis. Id. n. honestius atque salubrius est, quam expectare sententiã Concilij, per quam, non ultro, sed uicti cum rubore, resipiscere uideremini.

Vt autem super hac re Consultatio uestra certior sit, faciliusque procedat, expedire sane uidetur mihi, uos aut solos inter uosmetipfos consultare, aut in consiliũ adhibere Doctores ac graues bonæ famæ uitæque Theologos, qui toto uitæ cursu in rebus fidei sunt uersati, ij certe melius ac securius uos informabunt & de mente ac consuetudine futuri Concilij, & de fidei Catholicæ regulis, quæ Apostatici aut Poetici Theologi, qui lingua solum & stilo pollent, non solida eruditione. Neque adeo tutum uidetur, hac in re multum confidere aut acquiescere sententiæ secularium Consiliariorum, qui solidam in scripturis eruditionem non habent, Vides mus. n. quæ aperte Lutherizent plerique, etiam in maximis Germaniæ Consistorijs, ijs ergo in temporalibus & mundanis negocijs securius creditur, In Theologicis autem potius cre-

Quales adhibendi sint
Cōsultores.

Consilium Io. Coc.

dendum est Theologis, Vnicuique statim in arte & professione sua. Apostate uero periculosissime super hac re consulentur, quantumlibet sint docti, quia non quæ Christi & Ecclesiæ, sed quæ sua sunt, quærent ac suadebunt, Sciunt autem, in pace et unitate fidei omnem honoris aditum sibi occludi. Idcirco nunquam consulent fideliter pro pace, sed cupient potius per dissidium regnare.

Gal. 6.
Timendum
ab ultione
diuina propter
hæreses.

Ro. 11.

Esa. 19.

Summopere igitur cauendum est uobis, ne ex hac Dieta discedatis re infecta. Deus. n. non irridetur, nec sic patiens erit semper usque in finem, ad tot contra ipsum & sanctos eius, in terris uestris, blasphemias omnisque generis iniurias Lutheranorum, Quam periculosa fuerit eius admonitio, quæ iræ suæ signum ultionisque initium in rusticorum furore ostendit, nemo uestrum ignorat. Ego certe multo maiora uobis timeo, si diutius ad tot contra eum impietates conuiueatis. Non. n. soli facientes, sed etiam qui facientibus consentiunt (inquit Apostolus) digni sunt morte. Nulla profecto Natio usque aut unquam in orbe terrarum sceleratè aut impune à fide Catholica aut à sede Apostolica defecit, non Aethiopia, non Aegyptus, non Syria, non Græcia, non alia opulentissima atque amplissima regna, quæ misere nunc foeda seruitute præmuntur à Turcis, Ergo nec Germania impune deficiet, faciet enim Deus Germanos contra Germanos (sicut olim Aegyptiis minatus est per prophetam) concurrere, & quidem longe periculosius, quam anno superiore, quanto maior uidebitur uestra erga Deum eiusque cultum (quem sic minuunt audentque ac prohibent Lutherani) negligentia, contemptus atque ingratitude, si ad omnia hæreticorum dogmata diutius dissimuletis, cum sitis etiam iure iurando, & quidem multiplici ad ea extirpanda, Deo, Imperatori Ro. ac summo Pontifici atque adeo toti Ecclesiæ dei obstricti.

De

DE SERVANDA VNITATE

tecum sede Apostolica. Cap. II.

HActenus profecto per annos fere M.D. ita obseruatū est in Ecclesia Catholica, ut nemo uere Christianus cēferetur, nemo firmam haberet spem salutis, nisi qui B. Petrū & legitimos eius in Ro. Ecclesia successores, ut uerum Vicarium Christi ac summū Pontificem, ouiumq; Christi pastorem agnosceret, sic etenim docent nos sacræ literæ, sic leges definiunt & Canones, sic perhibent historiæ, sic rerum probat euentus, sic Cyprianus, sic Augustinus, sic Hieronymus, sic omnes sancti patres senserunt, Quin etiam Iohannes Huss, & hic ipse Apostata noster Lutherus id ipsum haud semel confessi sunt. Quisquis ergo Ro. Pontificem ut Pastorem suum, eunque summum, non agnoscit, is ne utiquam habet locum inter oues Christi, Idcirco si nullus est etiam error in fide apud nos esset, ipsum tamen schisma odiumque in Ro. Pontificem damnaret omnes Lutheranos, nisi resipiscant.

Nulla spes salutis in schismate.

Ioh. 21

Qualiscunque sit igitur in fide Germania, quædiu patitur istud Lutheranorum schisma contra sedem Apostolicam, non potest non subiacere æternæ damnationis periculo, Cui non solum misere seducta plebs, quæ Turcam minus quam Papam nunc odit, uerum etiam Principes ipsi procul dubio sunt obnoxij, quamdiu schisma istud pro uiribus tollere non curant, Quin immo grauior erit eorum (ut uereor) damnatio, etiam si corde consentiant Papæ, eo quot permittunt, populum sic à Lutheranis per tot calumnias & conuicia in Papam concitari, dum prohibere facile possent, si serio resisterent. Quod quæso nomen nunc in Germania uidetur uel odiosius uel detestabilius quæ nomē Papæ?

Quomodo

Quantum animarum periculum ex odio in Papam.

Consilium Io. Coc.

Quomodo sumus ergo Catholici, si summum Ecclesie Catholice Pontificem atque Pastorem, tam odiosum ac detestabilem populo Christiano à Lutheranis impune fieri permitimus? O latissimam animarum perditionem.

Graue scelus
dicere Papam
Antichristum.

Eo .n. seducta est maximo (ut uereor) pars Germanorum à sceleratis Apostatis, ut pro uero & præcipuo Antichristo habeant Papam, ac pro Antichristi discipulis, quicumque in fide ac unitate committant Papæ, Quid obsecro ad hæc dicat futurum Concilium? O grauem Nationis nostræ pudorem, multoque grauiorem animarum interitum. Hæc .n. sunt uerba B. Hieronymi ad Damasum Papam. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communionem confocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, Quicumque extra hanc domum, agnum comedent, prophanus est, Quicumque tecum non colligit, spargit, Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Et alibi Ecclesie (inquit) salus in summi sacerdotis dignitate pendet, Siquis adhuc dubitet, is quæso legat Cyprianum in epistolis, & de simplicitate Prælatorum, legat antiqua Conciliorum decreta, legat quoscunque patres sanctos, Nusquam profecto aliter habere inueniet, Neque alia est expectanda sententia à quocunque Catholicorum Concilio.

1. Cor. 13.
Grauamina
maligne
uulgata.

At dicat aliquis, Iniqua sunt Germanis imposita à Sede Apostolica grauamina, multæ abusiones, grauius scandala. Esto, sed omnia suffert Charitas, Et hæc sunt ipsius Lutheri uerba in articulo suorum declaratione, anno 1519, facta, Quod si nunc, prohdolor, Romæ ita res habet, ut bene melius esset. Non est tamen neque hæc neque ulla causa tam grandis, nec fieri potest, ut ab illa Ecclesia se quispiam diuelere ac separare debeat. Quin, immo, quæto peius sibi agitur, tanto magis accurrendum & adhærendum est. Hæc & id

genus

genus multa dixit & scripsit ipse Lutherus intra paucos annos, licet postea, in reprobum sensum datus, longe diuersissima scripserit. Et tamen benignissime interim obtulerunt se Germanis tres Pontifices Leo X. Adrianus VI. & nunc præsidens Ecclesiæ Clemens VII. ad moderanda quæcūq; grauamina. At nescio qua malignitate actum est, ut ea, quæ in Senatu Imperiali intra clausos parietes Nurenbergæ acta atq; tractata sunt, super grauaminibus centum, ea mox tam latine quam Teuthonice per Chalcographos in populum diuulgata sunt, antequam essent in sede Apostolica Cardinalibus proposita, Neq; satis erat malignitati, sola Germanorum euulgasse grauamina, eaq; uerbis haud ita modestis, Quinetiã totius Orbis Christiani Annatas Episcoporum atq; Abbatũ adiungere libuit, & quidem odiosissime, immo nec satis Catholice. Ait em̄ scriptor ille, haud dubie Lutheranus, Romana Ecclesia omniũ Ecclesiarũ (si credere fas est) Caput et mater. In fine autem sic habet. Quapropter potius admiratione dignum esset, quemadmodũ tot annis tantus thesaurus à Pontificibus dilapidari potuit, quã quo pacto Christiani tot tantaq; fraudes & exactiones tolerare ualuerint, Sed ut in prouerbio est, Male parta male dilabuntur. Hæc ibi.

Laudet hanc practicam, qui uelit, Mihi profecto neq; laudabilis neq; utilis uidetur, Ad quid enim diuulgantur talia in plebem, nisi ut maiori odio cõcitetur ad rebellionem; fructum itaq; huius æditionis gustauimus anno superiore, tanto cum damno rerum ac sanguinis effusione. Nunq; certe probabo quodcunq; iniquum Nationis nostræ grauamen, non puto tñ, hoc agendi modo nos cõmode relcuari aut liberari posse. Quid enim attinet eiusmodi diuulgare in populum, nisi ut maius inde sequat odium in Papam ac omnes

m

Eccle

Consilium Io. Coch.

Vtilius pro
Germanis
consilium.

Ecclesiasticos, maior dissēsiō, graui⁹ detractatiōis peccatū.
Magis itaq; communi utilitati expedire uidetur, ut certi
Oratores communi Principum Statuumq; sacri Ro. Impij
noie ac Decreto atq; etiā plena authoritate, mittant Romā
qui super omnibus tū grauaminibus tū abusionibus et scan
dalis, cum ipso summo Pōtifice, totoq; coetu Cardinaliū, fe
rio tractent in Consistorio Papali, ac plenā reportent, uel iu
xta Cōcordata Principū uel iuxta aliū modū, cōcordiā, ne
sic perpetuo cōtendat frustra inanibus uerbis, absq; effectu,
grauī cū peccato detractationis, summoq; animarū periculo.
Id quod maxime cōmodū uideēt, ut hoc tēpore fiat, quo in
uictissimus Impator noster Romē affuturus esse credit, qui
certe iustis Principū Statuūq; Imperij petitionibus fauorē,
assensum, ac opē præbere ac procurare nō desistet. Nec des
erit (credo) desyderijs eorū Reue. Dominus Card. Campe
gius, q; singulari fauore Nationē nostrā semp̄ prosequutus
est, & apud sumū Pont. non uulgarī pollet tū gratia tum au
thoritate, Ad hæc, uir est ut iustissimus, ita & doctissimus,
quē æquitas causę latere non poterit, Cui etiā ante Bienniū
Ratisponæ, dum sedis Apostolicæ Legatum de latere age
ret, satis cōmode uiam præparauit sua Constitutione.

Pessimum
schisma Lu
theranorū;

Num. 16.
3. Reg. 16.
4. Reg. 9.
2. Paral. 26.

Vereor equidē, ne grauiſſima superueniat in nos ultio di
uina, si diutius ita pmissum fuerit Lutherāis ac plebi, tot in
iurijs odijsq; ac maledictis in uicariū Christi, Cathedrāq; Pe
tri publice peccare ac debachari. Non est obscurum, quam
grauiter, uultus sit Deus schisma Chore Dathan & Abyron,
Item schisma Hieroboam, impietatem Iezabel, temeritatem
Osæ Regis. At multo grauius peccant hodie in summum
Pontificem, omnemq; ordinem Ecclesiasticum Lutherani
nostri, quam unq; aut uiq; antea peccatū est. Qui em̄ Tur
cæ, aut qui Tartari, tam horrenda scribunt, dicunt, pingunt
ludunt,

ludunt, blasphemāt, in Papā omnēq; Clerū dñi, q̄līa toto sep-
 tennio faciūt nostri Luherani: Vbi talia dixerunt aut fecerunt
 q̄ erant cum Chore: At eos absorpsit terra uiuos, ac res-
 liqs dictū est, ut separarent se ab eis, ne simul inuoluerentur
 in peccatis eorū. Non est aut minus, imo multo maius, Chri-
 sti quā ludæorū sacerdotiū, Tanto maior igitur timenda est
 ultio diuina nobis, ne superueniat propediem, Quanto et san-
 ctius est sacerdotium Christi, & grauius schisma atq; pecca-
 tum Lutheranorum.

Quod si externa nos minus moueant exēpla, reminisca-
 mur saltem, quid acciderit omniū fortissimo Impatori olim
 nostro, Henrico quarto, schismate Vuigbertino Rom. Pon-
 tifices uexanti. Nemo (inquit Egnatius Venetus) bellacior
 hoc uno fuit, nemo collatis signis ad hanc diem pluries cum
 hoste conflixit, Quippe qui M. Marcellum & Cæsarem dis-
 ctatorem supergressus, bis & sexagies pugnarit. Sed quam
 bello clarus, tam infestatione Pontificū infamis, à quibus
 diris etiam Pontificijs primus Imperatorum post Arcadiū
 petitus est. Quo factum est, ut tandē à filio proprio priua-
 tus regno, miserabilis uel hostibus obierit, anno Imperij sui
 xlvij. Id quod ex pprijs ipsius epistolis plane intelligitur.
 Hæc enim sunt uerba eius ad Archiepiscopos & cæteros
 Principes Saxonix, quum Leodijs obsidionem à filio immi-
 nere sibi timeret.

Rogamus uos & obnixè precamur, quatenus pro deo &
 honore regni & uestro, instācer moneatis filiū nostrū, amo-
 do desistat nos et fideles nostros, persequi, et pacifice et quie-
 te uiuere permittat. Quod si noluerit, rogamus uos per au-
 thoritatem Rom. Ecclesiæ, cui nos committimus, & honorē
 regni, ne super nos & fideles nostros ueniat. Quia mani-
 festum est, illum non cum diuinæ legis zelo uel Romanæ

m 2 Ecclesie

Historia de
 Imp. Henrici
 co III.

Egna. lib. 9.
 de Cæsarib.

Verba ipsi
 Henrici ad
 Principes.

Consilium Io. Coch.

Ecclesie dilectione, sed concupiscentia regni, patre iniuste
eo priuato, hoc incepisse. Apud quem, si interpellatio uestra
nullaq; alia interuentio ad presens prodesse poterit, appella-
mus Rom. Pontificem, & sanctam uniuersalem Roma. ses-
dem & Ecclesiam.

*Miserabilis
fortissimi
Imperatoris
protestatio.*
*Is tertius fuit
post Grego-
riū VII.*

Item in alia Epistola ad Regni Principes, Colonia tunc
propter ipsum obsidentes. Rogamus (inquit) filium nostrum et
uos multum precati sumus, ut dimisso exercitu ordinare-
tur, quomodo possimus conuenire. Et infra. Quod si nullas
tenus cessare uoluerit, Proclamatione inde fecimus, et sem-
per facimus Deo & sanctae Mariae, & beato Petro patrono
nostro, & omnibus sanctis, & omnibus Christianis, & uos
bis maxime, omni deuotione precantes, ut dignemini cessa-
re eum persequi, ad persecutionem tantae iniurie & uos eum
imitari. Appellauimus, & tertio appellamus dominum Ro-
manum Pontificem Pascalem, & sanctam & uniuersalem
Sedem & Roma. Ecclesiam. O exemplum diuinae ultionis
admirabile pariter ac terribile, hoc tempore maxime praes-
culis habendum. Ecce quantus Imperator e solio, post annos
Impij sui xlvij, deiectus est, & hoc (quod maxime tragicum
est) a filio proprio, Atq; ita coactus Ro. Pontificem, quem
acerbissime fuerat antea persequutus, miserabiliter implora-
re, & quidem frustra. Non enim exaudivit, nemo ei succu-
rrit nisi mors ipsa, scilicet ultima uinea rerum.

Lib. 7. c. 12.

Extat sane alia eius Epistola ad regem Celticae, qui Fran-
corum dicitur, miseriarum eius tragediam continens, quae uel saxea
mentes (ut ait Otto Frisingensis Episcopus) ad mutabilium
rerum arumnas contemplantas ac deplorandas emollire possit.
Quis ergo non detestet impiam hanc Lutheranorum Gigantom-
machiam, qua Ro. Ecclesia tam stulte presumunt expugnare,
quam tantus Imperator debellare non potuit. Cum uideamus hodie
pro

pro Ro. Ecclesia stare ipsum Cæsarem, tot regnorum potentissimum Principem ac dominum, Reges itē maximos Franciæ, Angliæ, Portugaliæ, Scotiæ, Vngariæ, Poloniæ &c. aliosq; totius Christianitatis potentatus. Si ergo nō propter deum ac salutem animarum, saltem propter infamiam Nationis nostræ depellendam, hoc Lutheranarum schisma primo quoq; tempore extirpare deberemus, etiam si nulli profus hæresi obnoxium esset.

DE SEDITIOSA DOCTRINA
Lutheranorum. Cap. III.

Seditiosam esse Lutheri cōplicumq; eius doctrinam, ipsi Principes simul cum Inuictiss. Cæsare ante Quinquennium testati sunt Edicto publico Vuormaciæ, Req; ipsa nūc id clarius est quàm omne quod dici potest. Vbi. n. pacifice recepta aut disseminata est ea doctrina? Vbi fuit aut est hodie cum pace? Nimis profecto certo id constat nobis, tanto miserrime seductorum Agricolarum sanguine tot prælijs anno superiore fuso.

Scribat nunc, quicquid uelit, Lutherus, ego certe palam ostendi, illas Rusticorum seditiones ex ipsius Lutheri doctrina prouenisse, adeo quidem manifeste, ut uerear plurimum, ne & Principes aliqui sint tam multi sanguinis alio quo modo rei, ex eo saltem, q; permiserunt seditionum semina in subditos suos impune dispergi. Vescor tamen magis, ne longe grauior maneat eos diuinæ ultionis plaga, calamitas, clades, si nondum uoluerint, tam grauius admoniti, mox respiscere, suosq; subditos in omnibus Vniuersali Ecclesiæ conformes ac consentientes reddere, Id quod fas

Seditio Rusticorum ex doctrina Lutheri.

Concilium Io. Coc.

Et haud difficile fuerit nunc, si modo Lutheranos Concios natores librosq; ubiq; e terris suis exulare serio faciant, Incipiunt enim iam plebei quoq; intelligere, non constare sibi ubiq; Lutherum & complices eius, proinde facilius nunc quam antebiennum, cladibus modo edocti, in uiam Ecclesiae antiquam, reduci poterunt, si serio agant Principes, procurantes, nihil Luthericum à subditis suis uel legi uel audiri.

Iniuriosa uerba Lutheri contra Ro. Imperium. Nimis profecto diuturna ac male dissimulans fuit Principum patientia ad tot Lutheri, tum contra Cæsarem et Ro. Imperium, tum contra Principes etiam saeculares, iniurias, publice iactatas, quibus ad rebellionem atque in Principum contemptum, subditi uehementer sunt incitati. Minime enim decuit, ad hæc Lutheri uerba tam diu uel tacere uel dissimulare, quando ante triennium, immo iam Quinquennium publice scripsit in Catharinum. Papæ tyrannus (inquit) mox coepit inclinante Imperio Ro. sed & de Imperio & in Ro. Imperio nata est, eiq; in suo loco successit. Translatum est autem ad Germanos Ro. Imperij uocabulum, Cum res iam nulla Imperij amplius esset. Et tanquam parua sit hæc iniuria, ex sacro Ro. Imperio facere, partim Tyrannidem (ut uocat) Papæ, partim merum & inane uocabulum, Addit longe grauiorem Contumeliam, Germaniæ profecto Principibus minime ferendam. Nouum (inquit) Imperium Romanum crexit Papa, transferens illud à Græcis, ut dicit, ad Germanos, quod inter cætera opera Antichristi uel principis pale & maximum portentum est.

Male dissimulatur in Germania. Ecce Lutherus Germanorum Imperium Ro. uocat Antichristi portentum, & quidem principale ac maximum, Idæque facit sub umbra & protectione, non hostis aut alienigenæ, sed iurati Principis ac Electoris, Quis hæcenus tam atrocem iniuriam uindicare studuit? quis ad animum reuocatur

uocauit: Certe si Papa aut Catholicorum quispiã sic scrip-
fisset, iam pridem de ultione seuerissime cogitatum atque
etiã definitum fuisset.

Quid dicam de insidioso illo comento, quo Cæsari Prin-
cipibusq; periculũ intendebatur, quando Lutherus, è Vuor
macia dimissus, fingebat uiolato saluo conductu intercepto,
cur remisit Caduceatorem, priusq; domum regierit: cur sub
ornabantur Equites, qui Lutherum amice, non hostiliter,
interciperet: cur tot mittebantur nunciij Vuormaciam, fal-
sa nunciãntes: Siccine decet agere cum Cæsare?

Sceleratum
figmentum
de capto Lu-
thero.

Neq; tamẽ contentus fuit hac malignitate Lutherus, uerũ
etiã publice traduxit grauissima calumnia Cæsare, sic scri-
bens in præfatione contra Regem Anglię. Apparui ego (in-
quit) iam tertio coram eis, Deniq; Vuormaciam ingressus
sum, etiã cum scirem, mihi uiolatam esse à Cæsare fidem
publicã. Nam didicerunt Principes Germaniã, olim de fi-
delaudatissime gentis, nunc in obsequiũ Idoli Romani, ni-
hil magis q; fidem contemnere, in perpetuam Nationis ig-
nominiã. Hęc ibi. Quid obsecro uel sceleratius uel atrocius
in Cæsarem ac Principes Germanię dici queat: Cur ergo tot
ac tam atroces iniuriã à uilissimo mendicantium fratrum
Apostata sic tolerant, ac tamdiu perferunt, quas nemo Re-
gum aut Principum impune dicturus fuisset: O graue a-
nimarum periculum, Deus certe non fallitur, nouit .n. cor-
diũ abscondita, etiã si homines interim fallunt & fallun-
tur. Ipse ergo causam, cur sic dissimuletur, plane nouit, atq;
etiã suo tempore iudicabit, si non resipuerimus.

Calumnia in
Cæsarem.

1. Reg. 16.
Hiere. 17.

Quantis uero calumnijs Teuthonice inceserit Principes
ad comunem populũ Luth. nimis pfecto longum esset hic uerba Luth.
referre, Retuli autẽ bonã partẽ in responsione mea in libellũ
eius cõtra rusticos. Hic ex duobus tantũ locis pauca referã.

Seditiosa
contra Prin-
cipes.

Sic

Consilium Io. Coc.

Sic ergo ait in libro de mundana superioritate. Mundani sunt Principes, Mundus autem odit deum, Idcirco oportet eos facere, quod Deo contrarium, Mundo consentaneum est, ne fiant infames, sed maneat Principes Mundani. Ne mireris igitur (inquit) quod contra Euangelium fuerunt ac infantur, Oportet eos Titulo nominique suo satisfacere. Scias itaque, ab initio Mundi usque, admodum raram aera esse Principem prudentem, multo adhuc rariorem Principem probum, fere enim sunt uel maximi fatui uel nequissimi Nebulones super terram, Idcirco ab ipsis semper pessima, ac parum boni expectare oportet, praesertim in rebus diuinis, quae ad salutem spectant animarum. Item. Non fiet, non possunt, non uolunt uestram Tyrannidem petulantiamque diu ferre, boni Principes ac domini, secundum hoc sciatis uos dirigere, Deus non uult diutius ferre. Non est nunc amplius Mundus talis ut olim, quando uos, homines sicut feras uenabamini ac uexabatis, Idcirco omittite uestram temeritatem ac uim, & cogitate, ut iure agatis Haec ibi.

Verba Lut.
pro Turcis,
contra Prin-
cipes nostros

Deinde, in altero loco contra duo Caesaris mandata, sic subiungit. In fine (inquit) rogo omnes pios Christianos, uelint simul orare deum pro tam miseris ac excæcatis Principibus, quibus nos Deus magna, proculdubio, ira tribulat ne ullo pacto consentiamus contra Turcas uel proficisci uel contribuere. Quandoquidem Turca decies prudentior ac probior est quam sint Principes nostri. Quid enim talibus fatuis contra Turcam prospere succedat, qui Deum tam graue uiter tentant ac blasphemant. Hic enim uides, quomodo miser, mortalis uermium saccus, Imperator, qui suae uitae non ad oculi ictum certus est, impudenter se iactat, quod sit uerus ac supremus Defensor fidei Catholicae. Et Paulo post. Eiusmodi conqueror (inquit) omnibus bonis Christianis, ut ipsi

ipſi mecum ſuper huiusmodi ſtolidos, fatuos, inſanos, rabi-
dos, deliros, ſtultos, habeant commiſerationem. Deberet ſa-
ne quis decies potius mori, quam tales blaſphemias & con-
tumelias diuinæ Maieſtatis audire. Sed eſt demeritum pre-
mium, quod perſequuntur uerbum Dei. Idcirco debent tā
palpabili cæcitate puniri atq; incurrere. Deus liberet nos ab
eis, & det nobis ex gratia alios Regentes, Amen. Hæc & id
genus multa Teuthonice ad populum Lutherus, Quæ ſi iu-
ſto perpendentur iudicio, non dubito, quin Millies plus
culpæ criminisq; ad ſeditionem excitandam iudicaretur in
uno Luthero eſſe, quam fuerit in mille ac mille Ruſticis ſu-
periore anno propter ſeditionem occiſis. Id quod ex reſpon-
ſione mea facilius intelligi poteſt.

Circumfertur & alius libellus Teuthonicus cū rota for-
tunæ, abſq; nomine Authoris & impreſſoris, uſq; adeo ſedi-
tioſus ac ſanguinarius, ut nihil poſſit in Principes crudelius
aut periculoſius excogitari. Nam & ſcripturas pleraſq; in
Principum torquet exitium. Habet XI. Capitula, ex quo-
rum ſep̄timo pauca, exempli gratia, referā. Breuiter (inquit)
Omnes domini, qui pro beneplacito ſuo ac proprio cerebelo
leges ſtatuunt, taceo qui tributum, exactionem, Thelo-
neum, Gabellam accipiunt, & quicquid eiſmodi eſt quod
communi burſæ ac manutenendæ Reipublicæ deſeruit, ij
ſunt proprie ac uere raptores ac hoſtes publici priorum
ſubditorum. Hunc ergo Moab, Agag, Achab, Phalarim
ac Neronem ex ſedibus deturbare, ſummum eſt beneplaci-
tum Deo. Scriptura eos nominat, non miniſtros Dei, ſed
ſerpentes, Dracones ac lupos. Forſitan ergo uenit ad aures
Domini Sabaoth ſerius ac miſerandus clamor meſſorum
ac uox operariorum, ut eos tam clementer exaudierit, quod

Seditioſiſſi-
mus liber,
cū picta for-
tunæ rota.

Iac. 5.

n dies

dies occisionis incipiat super saginatas pecudes, quæ corda sua pauerunt omnibus delicijs ex pauperie communis populi. Quod autem prouincia aut communitas aliqua potestatem habeat, perniciosum dominum suum deponere, ex diuino iure XIII. dictis ostendam. Et infra.

Deposuit potentes de se de.

Nonne clara ac diuina sunt hæc omnia dicta contra impiam superioritatem, quæ toleranda non est, sed absq; omni reuerentia deponenda. Adhuc tamen audent aliqui Mulos christiani dicere, quod Euangeliū nō tangat gladiū sæculæe sed cor eorum falsum est & maledictū. Et infra. Atq; ut ora eis obturem ex iure ipsorū sæculari, Papa & Cæsar nō nati sed electi sunt Principes, qui possunt deponi, Id quod propter eorum malefacta sæpe factū est. Et tamē hi sunt summi Principatus, Et eorum delegati, ut sunt Principes & alij domini, non deberent deponi de mala potestate suar. Quod si dicant eiusmodi depositionem potentium spectare ad Cæsarem, nō ad eorum subditos, Friuolū est. Quid enim si Cæsar quoq; & Reges ipsi sint inutiles? An non sunt in memoria hominum Reges & Cæsares etiā hoc modo à suis subditis expulsis? In summa, non debet constitui Iudex partialis, alioqui nihil efficietur, nisi iuuua me, supportabo te.

Periculosa scripta.

Hæc & id genus multa circumferuntur adhuc in populo. Neq; desinunt occulte res nouas adhuc hodie quærere Lutherani, quorum omnis spes & salus atq; potestas in dissidio est Plebis Cleriq; & Optimatum ac Principum, Sed & publice adhuc concionari audent alicubi, ne plebs rusticorum clade territa desperet, quoniam filij Israel bis fuerint à Beniamitis fusi ac uicti, uicerunt autem & fuderunt illos tertio tandem prælio. Alibi assumulāt plebem paruo Dauid, Equite uero Principum magno & armato Goliath. An ergo tutum sit Principibus nostris, diutius ad tam sediciosos libros

tum

concionatoresq; & susurriones Luthericos, cōnuere aut dis-
simulare, ipsorum iam esto iudicium.

DE CONCILIORVM DE-
cretis ac Ecclesiæ Consuetudinibus.

Cap. III.

DVobis nituntur Lutherani fundamentis, sed falsis ac
ruinosis, quibus omnia fere dogmata sua probant, Quo-
rum primū est, quod sola fides iustificet, Hinc cuncta rei-
ciūt opera bona ac merita sanctorū, cunctos ordines religio-
forum, omnē satisfactionem pro peccatis, omnia promeren-
dæ uitæ æternæ studia, &c. Alterum est, quod nihil recipere
teneamur, nisi quod in scripturis est expressum, Hinc tollūt
septem sacramenta, prophanant festa, abrogant ieiunia, rei-
ciunt Pontificum atq; Cōciliorum decreta, rident Ecclesiæ
ritus & Cerimonias, &c. At falsum est utrunq; eorum fun-
damentum.

Duo falsa
Lutheri fun-
damenta.

Primū clare confutat in Epistola sua S. Iacobus, S. Cy-
prianus in Tractatu de lapsis ac in epistolis, S. Augustinus
de fide & operibus, Alij quoq; sancti patres permulti. Et nos-
tris temporibus reprobatur est à plerisq; doctissime, preser-
tim ab Episcopo Roffensi, à Chlichtouco, à Iohanne Fas-
bro, à Dietenbergio, &c.

De sola fide.

Et Lutherus ipse fassus est mihi publice, à se, non à Pau-
lo adiectā esse hanc uocem SOLA, Cum obiecisset ei, qd
neq; Paulo neq; ulla scriptura diceret, nos sola fide iustificari.

Luth. in lib: cōtra Coch.

Alterum eorum fundamentū multipliciter cōfutatū est à
Christo, à Paulo, ab Augustino &c. & nostris tēporib. pul-
cherrime à dño Roffensi alijsq; pmultis. Quod et ego uarijs
libellis falsū esse cōuici, Traduxi itē in Teuthonicū Idioma

Multa credi-
mus, quæ nō
sunt expres-
sa in scriptu-
ris.



Confilium Io. Coch.

quendam tractatum Vuidefort, contra Vuiclephum, Augustæ excusum, in quo plurimis ac planissimis rationibus et exemplis falsitas ista confutatur. Hic sufficiat dicere, quod firmissime credere tenemur, In Trinitate diuina esse tres personas & unam essentiam, Deum trinum & unum, Patrem ingenitum, filium consubstantialem patri, spiritum sanctum ab utroque procedentem, Mariam Dei genitricem, semper uirginem &c. Et tñ noia ista nō habent sic in scripturis exp̄ssa.

Quod si dicāt, Ad uerbū dei nihil addi debere, Hoc intelligit de eo quod sit uerbo Dei cōtrariū. Si dicant, à Christo reprobari mandata hominū. Et hoc quoque de ijs tantū mandatis intelligit, quę sunt mandatis dei contraria aut impeditiua, uti aperte insinuat Textus Esa. 29. Math. 15. Cum igitur Christus iubeat nos audire Ecclesiā Matth. 18. Paulus obedire nostris Prepositis, Heb. 13. obseruare precepta Apostolorū & seniorū Act. 16. Stare ac tenere traditiones, quas siue per sermonē siue per epistolam didicerimus. 2. Thess. 2. Non cōtendere contra consuetudinē Ecclesię dei 1. Cor. 11. Manifestū utiq; est ex ijs & id genus alijs scripturis, nos ad multa teneri, quę non in scripturis, sed uel in Concilijs aut à summis Pontificibus sunt instituta seu decreta, uel generali Ecclesię consuetudinē recepta & approbata.

**Cōciliorum
decreta ne
quaquā con
temnenda.
Matth. 18.
Act. 15.**

Non contemnenda sunt Conciliorū Decreta Ecclesięque cōsuetudines, uelut mādata hominū et cōstitutiones humana. Nam in legitime cōgregatis Cōcilijs adest etiā Christus & Spiritus sanctus. Ait enim Christus. Vbi duo aut tres cōgregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et in primo Concilio, dum sine scripturis daretur constitutio, dictum est. Visum est spiritui sancto & nobis. Nequaquam igitur credendum est, quod legitime congregatum Concilium possit in ijs quę ad fidem spectant errare, Cum in medio

dio eius sit Christus & spiritus sanctus. Hinc ergo Paulus uocat Ecclesiam columnam & firmamentum ueritatis, 1. Timo. 3.

Vnde merito debent nobis Lutherani esse uelut Ethnici, dum, contra Christum & Paulum, Ecclesiam dei contem-
nunt, in sacro Canone, in Concilijs, in bonis consuetudinibus, in antiquis denique ritibus et Cerimonijs, in imaginibus Crucifixi & sanctorum, in Ieiunijs, in abstinentia carni-
um certis diebus, in diebus festis, in processionibus & letanijs, in horis Canonicis, in celebratione Missarum, in exequijs & memorijs defunctorum, in benedictionibus aquae, salis, cereorum, herbarum, palmarum &c. Haec enim & id genus alia complura & sanctissime sunt instituta, & antiquissimo ritu per omnes Ecclesias ubique obseruata.

Quamquam uero non de omnibus ritibus & obseruationibus Ecclesiae possit ratio ex scripturis clare reddi, Tamen contemni minime debent, Multa enim nobis per Apostolos atque Apostolicos uiros tradita sunt sermone, quae non sunt scripta, Disputare autem super eiusmodi, quae tota obseruat per orbem Ecclesia, an tenenda sint, insolentissima est (ut ait Augustinus) insaniam. Quanta ergo uel sine scripturarum testimonijs sit auctoritas Ecclesiae, ex praerallegatis haud obscure cognoscitur, De qua multi multa docte scripserunt, Ego quoque duobus libris latius hanc materiam tractaui, qui uel bis aediti sunt iam pridem.

Nihilofecius etiam ex scripturis rationem multarum Ecclesiae Cerimoniarum reddiderunt multi Pontifices, & quidem antiquissimi, uti uidere licet in ipsorum epistolis decretalibus, quas ego, si opus fuerit, exhibere potero ex ordine a Clemente primo usque ad Gregorium primum. Sed & Canones Apostolorum atque antiqua Concilia, (quae hic anno superiore aedidimus) multorum quae in Ecclesia

n 3 fiunt

Lutherani
Ecclesiae con-
temptores.
1. Cor. 11.

Aug. in epis-
tola 118.

fiunt rationem ex scripturis passim deducunt, Extat præterea Rationale diuinorum Duranti, in quo latissime ac planissime ratio rituum ac Cerimoniarum etiam ex scripturis ostenditur.

Rupertus
Tuiciensis de
diuinis officijs.

Et nos nuper ædidimus Coloniae XII. libros Ruperti Abbatis Tuiciensis De diuinis officijs per circulum anni. Quem profecto authorem nemo Lutheranorum iure contempserit, Tum quod ante annos CCCC. scripsit in Germania & quidem exercitatissimus ac maxime illuminatus in scripturis, tum quod à Lutheranis primum est æditus in alijs quibusdam opusculis. In ijs ergo XII. libris uidere licet, quàm rationabiliter ac pie sint omnia Ecclesiae instituta à sanctis patribus ordinata, Docte enim ac solide rationem eorum reddit ex scripturis, non solum de horis Canonicis, omnibusque per circulum anni festis & dominicis, uerum etiam de ornamentis, uasis & uestibus sacris, quid mysteriorum in ijs contineatur. Nequaquam igitur æquo animo ferenda sunt impia & scurrilia illa impropria Lutheranorum, quibus usque adeo Barbare inuehuntur in sacrum Canonem, in Concilia, in patres atque in uniuersam Ecclesiam Dei.

Luth. de abs.
rog. missa.

Certe si omnes aliae Nationes ad huiusmodi calumnias iniuriasque tacerent, conuierent, riderent contemnerent, Germani tum minime ferre deberent, quibus maximam nititur irrogare infamiam atque impietatem Lutherus, ex ijs quae Constantiae contra Iohannem Hufi acta sunt, sic enim scripsit ante Quinquennium Teuthonice in Iohannem Eckium.

In disputatione (inquit) Lipsica non legeram Iohannem Hufi. Alioqui non aliquos, sed omnes eius articulos, Constantiae damnatos tenuissem, Quemadmodum eos
nunc

nunc teneo, postq̄ illius Iohannis Hufs summe docti no- Verba Lut-
 bilem ac Christianum libellum, Cui similis intra CCCC. contra Con-
 annos non est scriptus, legi. Qui & diuino consilio per ciliū Con-
 Chalcographiam æditus est, ad testificandam ueritatem, atq̄ stantiense.
 que ad irrogandam publicam infamiam omnibus qui illum
 condemnauerunt. Non sunt enim Iohannis Hufs, sed Chris-
 sti, Pauli, & Augustini articuli, ualidissime fundati atq̄ irre-
 fragabiliter probati, uti fateri oportet omnes qui legerint il-
 lum, Utinam dignus sim, propter tales quoque articulos
 comburi, dilacerari, discerpi uel contumeliosissime, Et si
 mille collis constaret mihi, omnia offerrem, Dico igitur,
 ad saluandam conscientiam meam de sanguine in socen-
 te contra omnes, qui huiusmodi articulos pro condem-
 natis habent, & sciant, quot Christum ipsum negant ac
 condemnant. Verum quidem est, quot Iohannes Hufs
 exultus est antequam fuerit ibi confirmatus Papa. Et hoc
 ipsum est mea querela, q̄ nebulones ibi regnauerunt suis
 opiniōibū, antequam recta Papatus ordinatio fuerit facta.
 Sicut ergo dixi, q̄ Iohanni Hufs fides publica non est ser-
 uata, ita uerum est, Id quod clare exprimunt hæc uerba,
 Quantum in nobis est & fides Orthodoxa exigit. Vicit
 autem Ecclesia per annos iam 1400. complures hæres-
 ticos, sed nullum antequam exussit, præterquam Papi-
 stæ Constantiæ. Lapides ergo adhuc clamabunt contra
 Hussiticos homicidas, quod manifestum iam fit, Hussi-
 causam fuisse diuinam, Constantiensem uero Diaboli-
 cam. Hæc ibi Lutherus.

Nec mitiora scripsit postea tum latine tum Teuthonice Confusio
 in assertione XXX. articuli sui, Que longum esset hic refer Germanorū
 re, Extat, docta ad ea responsio Episcopi Rossensis, ex qua propter Lus-
 therum,
 facile

Consilium Io. Coc.

Fit.

facile intelligit quisq; Catholicorum, qualis sit Lutherus & quid ei debeat. Consyderent ergo Principes nostri, an deceat, talem hominem in futurum referuare Conciliū, Quid enim diceretur eis: An non iuste dicat Concilium, Quid agitis cum homine, qui & omne Concilium contemnit, & les ipsum ore proprio iam pridem uelut Hæreticum condemnauit, iuxta uerbum Apostoli uobis maxime deuitandus, quia subuersus & proprio iudicio condemnatus: Creditis ne, posse aut debere nos damnare aut rescindere acta tā præclari ac legitimi Concilij in finibus uestris celebrati: Si homicidæ sunt, si Christum & Paulum negauerunt & condemnauerunt, qui Iohannem Hufs Constantiæ exusserunt, Germanorum utiq; maxima est culpa & infamia. Non enim nisi Germani eum conbuserunt, Imperator Sigismundus & reliqui Germaniæ Principes. Quid ergo nouum expectatis cum homine isto Concilium: Nonne fatetur ipse, q; decies magis hæreticus sit quàm Iohannes Hufs fuit.

Luth. in as
ser. 30. art.
Non expe
ctandum est
in causa Lu.
usq; ad Con
cilium.

Minime igitur decet aut expedit, Lutheranorum causam in futurum differre ac protrahere Concilium, quæ toties cōdemnata est, non solum à summo Pontifice, multisq; Episcopis & uniuersitatibus, uerum etiam à Cæsare nostro, ipsiq; Principibus in Dieta Vuormaciensi, Quin immo propria quoq; confessione ipsius Lutheri. Nimis profecto simplices, indocti, stolidi aut parum fideles existimabimur, in Concilio, si dubitemus eam causam condemnare nunc, quæ toties condemnata est antea. Nonne Lutherus ipse ob hoc maximæ stoliditatis arguit Principes nostros, q; post condemnationem Vuormaciensem iusserint Norinberge, liberos ipsius rursus discutere in Dieta Spirensi: Non potest igitur causa ista, nisi summo cum dedecore totius Nationis, graui cum periculo Principum, aeterno cum interitu animarum

marum in futurū referuari aut procrastinari Cōciliū. Nunc nunc determinanda est semel, si tuti ac salui esse cupimus.

Et ne quis Lutheranorū dicat sibi per hoc uim fieri, non iustitiam, Ego certe pro honore patrię totq; animarū salute ultro me offeram in extremū uitę omniumq; rerum mearum discrimen, sic nēpe, ut inscribā ac obligem me ad pœnā debitam, secundū formam iuris, si legitimo sistat iudicio Lutherus, nisi conuicero eum de grauissimis criminibus, quę uel singula secundū omne ius tam diuinū quā humanū digna sunt morte. Agant ergo Principes cum Illustriss. Duce Saxonię Iohanne, ut sistat Lutherū legitimo Iudicio, ubi mecum sub æquali periculo experiatur de iure & iustitia. Nihil sane deprecor, quin pœnā talionis ipse perferam, si illum nō cōuicero. Non ob id sane, quod priuatum sit mihi ullū odiū aut inimicitia cōtra illū, sed quod uel sanguine meo uelim redimere hoc Nationis nostrę dedecus totq; animarū interitum. Tantū sane abest, ut male optem Luthero priuatim, qđ uix est alius, cuius salutē magis desyderem. At saluari nō poterit, nisi abiuratis tot hęresibus reuertatur in unitatē Ecclesię cū pœnitentia. Si uero semper mansurus est in sua pertinacia (uti permāsit hactenus) nihil magis decet aut expediat, quam primo quoq; tempore ipsum de medio tolli. Iam pridem enim minatus est nobis publice, nunquam habitu-
ros nos pacem quam diu uixerit ipse.

Ve sistatur
iudicio Lus-
therus.

Luth. in lib.
contra statū
Eccles.

CONCLUSIO.

HAec sunt Reuerendissime Domine, Illustriss. ac Gratiosiss. Princeps, quę super negotio Lutherano hoc tempore ex animo, ac bona conscientia, haud secus quā in conspectu dei, dicere uolui, rogans humiliter, ut Reue. ac Illustriss. Clementia uestra equo accipiat animo, Siquid libe-
o rius

Consilium Io. Coch.

rius dictum est, certe non aliter nisi ad honorem & salutem Germaniæ dixi, si erravi aut peccaui, paratus sum uestra admonitione corrigere. Non enim meum honorem aut commodum hic quaero, sed communis patriæ decus, pacem, & salutem desidero, etiam si ob id mihi moriundum sit. Ante omnia ergo præcauendum existimo, ne Lutheri causa, tanquam in futurum referenda Concilium, cum tanta nationis nostræ infamia animarumque pernicië suspendatur.

Nullius unquam heretici turpior fuit causa quam Lutheri est.

Satis enim constat, nullius unquam hereseos causam fuisse turpiorem. Nemo enim hereticorum per annos M. D. tam absurde sensit aut scripsit, quam scribunt sentiuntque Lutherani. Nemo tot conuictis inuectus est in sedem Apostolicam omnemque sacrum ordinem. Nemo tam proterue omnia Ecclesiæ instituta reiecit, Nemo sic omnium Conciliorum decreta contempsit, Nemo sic omnes sanctos patres repulit, Nam & Huls & Vuicleph agnouerunt ac uenerabiliter receperunt Doctores Ecclesiasticos, adeo, ut Vuicleph dictus fuerit à suis Iohannes Augustini. Nemo denique ausus fuit totum ius Canonicum seu Ecclesiasticum, in despectum Ro. Pontificis ac totius Ecclesiæ, cremare, quod ante sex annos Vuittenberge ausus fuit Lutherus. Non poterit igitur nisi graui cum dedecore Principum totiusque Nationis nostræ, causa ista futuro Concilio referuari.

Oculus nequam ad sacrilegia respiciens.

His itaque aliisque non leuibus causis merito debent moueri Principes nostri contra hanc hæresim Lutheranam non solum ad placandam iram dei, uerum etiam ad abolendam Nationis nostræ infamiam, quam ex hac hæresi usque adeo tum absurda tum impia contrahimus, quam diu eam toleramus. Timeo autem uehementer, ne multorum Laicorum, etiam supremi ac medijs ordinis, sinister ac nequam sit oculus, quo

quo per auariciam (quæ Idolorum est seruitus) male cæcu-
 tientes, ad bona temporalia Ecclesiarum ac Monasteriorū,
 sub huius Euangelij Lutherici prætextu occupanda, respi-
 ciant, ad quæ aliter nullo iuris titulo spem ullam habere pos-
 sint. Quod si ita est, infructuosa erit (uereor) omnis admo-
 nitio, quantumcunq; sit honesta, fidelis, iusta, pia. Ait enim
 Christus. Si oculus tuus fuerit nequã, totū corpus tuū tene-
 brosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt,
 ipsæ tenebræ quantæ erunt. Utinam uero taliter affecti, di-
 ligentius considerent, qualis fuerit antea eiusmodi rapto-
 rum ac sacrilegorum exitus. Plenæ namq; sunt historiæ tum
 sacræ tum prophanæ de tragico eiusmodi tyrannorū exitu.
 Et nostro tempore haud leuia aut parua uidimus in tales
 diuinæ ultionis exempla etiam in Regibus & Principibus,
 quos nominare non expedit. Certe uel rusticorū clades pos-
 sit eos iure ac meritō abstergere, si nō penitus sint abominabi-
 li auaricia excæcati, ne impie rapere querant ea quæ dei sunt.
 Ait enim Christus in Euangelio Matthæi, nō Lutheri. Red-
 dite ergo Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo.

Ephes. 6.

Matth. 6.

Matth. 22.

Certum est igitur, nemini prospere celsisse aut cedere sa-
 crilegia, quæ tam rigidæ sunt omnibus legibus tum diuinis
 tum humanis prohibitas. Caueāt ergo nostri, si sapiunt, ne
 hunc impietatis hamū incaute p. Lutheranos inescati deglu-
 tiant, Quos equidem gemina exhortatione ante triennium
 per uarias scripturas et historias fideliter admonui, ut consy-
 derent, quam pauper ac infœlix fuerit Germania, quando
 nullos habebat presbyteros ac Monachos Christi. Creuit
 autē cum religione Christiana simul omnis nostra prospe-
 ritas. Quod si qui ministros Christi iamminuere attemptaue-
 rint, imminuetur eis proculdubio cuncta salus & prosperi-
 tas, tum in hoc tum in futuro sæculo.

Cauendū ab
hamo Lus-
therico.

Consilium Io. Coch.

Exemplum
petendum à
Carolo mag
no.

Quod si eos neq; timor ultionis diuinæ, neq; infamia sceleris absterreat, moueat eos saltem pietas maiorum, Laus & honor atq; prosperitas Principum piorum. Quis enim fuit aut fama clarior aut bellis fortūatior Carolo magno? At eos dem nemo fuit religiosior, nemo Ro. Pontificibus amicior, nemo maiorum ac pluriū Ecclesiarum atq; Monasteriorum fundator, Nec tamē fuit inde pauperior factus, Quis enim Imperator post ipsum filijs suis plura quam ille reliquit.

C. de epif.
aud. L. Sta
tuimus.

Quod si ne laus quidem ac pietas maiorum ad cultum Dei, si non augendum, saltem cōseruandū, nostros extimulare queat, attendant saltē animos ad legem Imperialem Friderici primi, in Codice legum publice receptam & approbatam. Quā Coronidis uice hic recitabo. Statuimus (inquit) hoc Edicto, in perpetuum ualituro, ut Potestates, Consules siue Rectores, quibuscunq; fungantur officijs, pro defensione fidei præstent publice iuramentum, quod de terris suę iurisdictioni subiectis, uniuersos Hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro uiribus suis exterminare studebunt. Ita ut amodo quandocunq; quis fuerit in potestatem seu temporalem seu perpetuā assumptus, hoc teneatur Capitulum firmare iuramento. Hæc in Constitutione Imp. Frid I. minime adhuc abrogata. Magna est igitur indicta tum Principibus tum Rectoribus Ciuitatum & fidei defendendæ & hæreseos exterminandæ necessitas, quam negligere diutius non possunt, si nolunt Deo hominibusq; culpabiles uideri.

Fructus Doctrinæ Luthericæ.

Minuitur Cultus dei	Varia & incerta fit Christiana religio.
Definit sacerdotum castitates,	Tot fidei nouæ formulæ, quot sectarum duces.
Cessat obedientia Monachorum.	Missarum contemptus & abrogatio.
Nubunt Moniales aut profstant.	Horarum Canoniarum derisio.
Frigescit laicorum deuotio.	Processionum ac Letaniarum omissio.
Confunditur ordo statuum.	Bonorum operum uituperatio & neglectus.
Labitur omnis disciplina uitæ.	Sacramentorum prophanatio.
Cadit reuerentia Magistratum.	Corporis et sanguinis Christi abnegatio.
Crescit odium in superiores.	Stulta quorundam rebaptizatio.
Increbescunt Seditiones.	Dei genitricis blasphemata detractio.
Exhauriuntur Cellaria et Granaria.	Sanctorum, Coelicuium, in honoratio.
Euertuntur Arces & Monasteria.	Reliquiarum proiectio.
Trucidantur infatuati Agricola.	Imaginum sacrarum destructio.
Depauperantur Principes & Nobiles.	Ministorum dei persecutio.

o 3 Eijciuntur

Consilium Io. Coc.

Eijciuntur boni Monachi et Moniales.	Populi uana de literis sacris & fide contentio.
Expilant Episcopi & Pres- byteri.	Dierum festorum malicio- sa uiolatio.
Decrescunt literarum stu- dia.	Ieiuniorum crapulosa trans- gressio.
Pereunt Vniuersitates & Gymnasia.	Carnium esus in Quadra- gesima.
Negliguntur libri ac sermo- nes ueterum.	Peregrinationū Confessio- numq; abolitio.
Seditiosis & hæreticis libris compentur omnia.	Rituum ac Cerimoniarum ueterum irrisio.
Innumera fiunt & ui & fur- to sacrilegia.	Christus uersatur in ore, Dia- bolus in corde.

SCRIPTVM MOGVN.

tia, Anno 1526.